



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Paraphrasis Psalmorvm Davidis Poetica**

**Buchanan, George**

**Argentorati, M. D. LXVIII.**

**VD16 B 3125**

Psal. XXXII. Beati quorum remissæ sunt iniquitates, &c. Carm. gen. 15.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69145](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-69145)

Periculis submoueras.

Expes inops uitam fugæ  
Quum uix tuerer anxiam,  
Mecum ipse dixi, Iam truci  
Reliquit hosti me Deus.

At tu nec in periculis  
Oblitus extremis mei,  
Aurem benignam supplici  
A cinuocanti admoueras.

Ergo patrem rerum optimum  
Amate candidi & pij,  
Qui fastuolos deprimit,  
Et obsequentes erigit.

Qui spem locatis in Deo,  
Constanter illi fidite,  
Nec robur animi concidat  
Sortis procella turbidæ.

PSAL. XXXII. Beati quorum remissæ  
sunt iniquitates, &c. Carm. gen. 15.

O Ter beatum cui Patris optimi  
Noxas remisit lethiferas fauor,  
Cui fœda morum flagitia obruit  
Obliuioso testa silentio!

O ter beatum cui bonus arbiter  
Non imputauit lubrica deuiæ  
Errata uitæ, nec reperit dolum  
Cæco in recessu pectoris abditum!

Donec fouebam sub tacito sinu  
Morbum, solutis languidus ossibus  
Artus trahebam, luctificus dolor

D. iiii

Questum ciebat non patiens tegi.

Tu me premebas præualida manu  
Infestus, atris seu tenebris diem  
Nox condidisset, seu rosea dies  
Orbem recurrens luce retexerat.

Sic decolorem tabificus cutem  
Mœror coquebat: sic macie dolor  
Siccabat artus, messis ut Africæ  
Cancri per æstum mitius ardeat.

Tum mente uersa uulnera protuli,  
Tibi renudaui uitium meum,  
Fraudem retexi: ac tu mihi protinus  
Noxa soluto conciliatus es.

Qui mentis ergo pura sacraria  
Seruare quærit, te prece supplice  
Placet: nec, orbem Pontus ut obruat,  
Formidet æstus lethiferi minas.

Tu me periclis eripis asperis  
Tutela præsens: tu mihi gaudia  
Toto refundis corpore, ut hostium  
Qui uincla fracto carcere depulit.

Nec sat: tenebras pectoris auferam,  
Inquis: beatæ qua ferat orbita  
Monstrabo uitæ, nec procul à tuis  
Vnquam reflectam lumina gressibus.

Mulis equisq; ne similis modò  
Sis, bruta quorum pectora gratiam  
Non mutuam nouère, sed asperis  
Fracti lupatis seruitium ferunt.

Multa obstinatam nequitiam manent  
Tormenta: pura qui dominum fide  
Orabit,

Orabit, huic pacem & ueniam dabit,  
Non durus unquam parcere supplici.

Recti tenaces simplicis, & quibus  
Est grata fraudum nescia ueritas,  
Fauente læti numine gestibus  
Et uoce uestrum pandite gaudium.

PSAL. XXXIII. Exultate iusti in Domi  
no: rectos decet collaudatio, &c.

Carm. gen. 17.

VOS quibus puræ est amor æquitatis,

Læti pangite carmine

Orbis auctorem Dominum: æquitatis

Hoc carmen decet æmulos.

Tinniat blando chelys hunc susurro,

Hunc uocalia nablia,

Docta bisquinis resonare neruis:

Hic artem manus approbet.

Huic nouos cantus meditemur: uni

Læti clangite buccina.

Nam fides dictis rata ueritasq; est,

Et factis comes æquitas.

Quippe qui iusti est & amator æqui, &

Veri fallere nescij:

Perq; terrarum sola uasta notæ

Cunctis munificentia.

Is suo nutu sinuavit orbem

Lucentem nitidi ætheris:

Quicquid & puris radijs renidet

Campis ætheris igneis.

D v